



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioannes Calybita. 15. Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

chiis omnino oranti similem. Cùm ultimum proinde officium mortuo præstaret, in eo socios duos leones habuit, qui sepulchrum egestâ humo parârunt, & mœrenti Antonio crebro mœstoque rugitu, & ipsi adgemuerunt. Hic domum revertit nimiùm quantum gaudens, spoliis opimis, hoc est tunicâ PAVLI è foliis palmæ concinnatâ. Certè non nisi maximis quibusque diebus festis in eâ visus est superbire, ut minus ego jam mirer ab Hieronymo eam palmatæ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illâ magnus Antonius triumphavit. Ex S. Hieron.

*Quàm deliciosa fame affligitur, qui celestia promptuarii dapibus satiatur? cui calum sit cellariû, celestis promus exhibet ministerium; quàm feliciter miser est, qui dum terrenis eget impendiis angelicis fulcitur obsequiis: cui ænium divinitus mittitur, angelicis ministratur? S. Pet. Dam. serm. 33.*

S. IOANNES CALYBITA. 15. Ianuarij.

ILLE IOANNES est, qui in illustri Patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adolescens admodum clam his in Syriam abiit, & vestem indutus religiosam, unico, sed delicato cibo vestitavit, Angelorum pane. Post cùm parentes sæpenumerò ingereret hostis, ægrè illi sibi que facturus Romam iter instituit. Ex itinere vestem suam cum mendicantis centonibus commutat, & his spoliis superbus ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiæ, tanti patrimonii hæres vix malè factam testamque in vestibulo ædium suarum casulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam sui hostis furtivo parentum aspectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad Superum

Superiū palatia invitans, matrem adyocat; mendicus agrè impetrat; præsentem jurejurando adigit, velit jubeat in pannuceis suis se tumulari. mox sanctum Evangelii librum, quem puer ab eâ dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos tandem matri aperit, ipse suos claudit. Enimverò malè officiosa velle hic auream filio purpuram inducere; sed illicet manus sensit tandiu rigescere, dum piæ & ultimæ IOANNIS voluntati est obsecuta. Claruit verò sanctior hic in casâ suâ Romulus circa annum Christianum CD.LXVII. nunquam orbi tam notus futurus, nisi tam ignotus fuisset.

*Ex Suario.*

*Præferenda est Religio necessitudini, & pietas propinquitati. Ea enim est vera pietas qua preponit divina humanis, perpetua temporalibus: nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam Sanctis omnia Deus est. S. Ambr. in Epist. ad Rom.*

S. BONITVS EPISC. 15. Januarij.

**B**ONITIVS virtus detecta jam tum divinitus est, cum matris adhuc utero lateret. Etenim cum hæc gravida à Sacerdote postularet, benè ut sibi precari vellet, *Quin, ille retulit, bene potius tu mihi precaris Domine? Amplius ad hæc obstupescēti, Ne, ait, hoc à te exigere me crede, sed ab eo, quem utero foves, quem ad insulam jam nunc vocari vides o.* Cæterum BONITVS adultior factus, cum maxima quæque munia in Gallorum Regiâ obiret, ita Regis causam egit, ut cuivis dignitati pauperum patrocinium præferret. Ascitus inde ad Episcopatum Arvernensem, dum nocte intempesta in templo precibus vacat, adspectabilem cum omni aulâ Reginam cæli MARIAM habet; hujus imperio rem

C 5

divinam